

quidem Divina revelatione supernae Felicitatis iacturam nosse Parvulos; agnoscent saltem in extremo Judicio, cui praesentes aderunt, si minus iudicandi; ut volunt aliqui, saltem iudicium vi-  
furi, ac probaturi. Aderunt siquidem ibi Parvuli non ut stipites, sed ut Homines iudicio, ac ratione utentes, habitu Corporis, & Animi perfectio praediti: tunc illuminabuntur abscondita tenebrarum, inquit Apostolus, & manifesta erunt consilia cordium: nota omnibus erit Sententia, cum sua, tum aliorum, & causa cuiusque Sententiae, ut loquitur D. Thomas in 4. Sent. Dist. 43. quest. 1. art. 5. Nunquid ergo, dum haec omnia in extremo Judicio & mente, & oculis usurpabunt Parvuli, iam non Parvuli, sed Corporis, & Animi integritatem assecuti; dum multos sui generis, ac forte etiam Parentes, ac Fratres in Caelum cum ingenti gloria ferri conspicient; nunquid Felicitatem aliquam dari minime agnoscent, unde excederint ipsi? Tunc ergo, si nunquam antea, iacturam agnoscent; atque ideo castigabuntur.

Ea statione, utpote iniquiori, dimissa, alii alio confugiunt: ajunt scilicet, scire quidem Parvulos sortem suam, & supernae Felicitatis iacturam; nec tamen idcirco tritari, quod probe intelligant, nullam se ad eam obtinendam proportionem habuisse, jus nullum; utpote qui nec Gratiam, nec liberi arbitrii usum habuerint in hoc Mundo; quia, inquit, non tritari, qui recto iudicio utitur, si eo bono careat, ad quod nulla ratione, nulloque titulo destinabatur, ac vocabatur, uti plane nemo nostrum, opinor, tritari potest, quod Galliarum, aut Hispaniarum Imperium non obtineat, ad quod nullo jure destinatur. Sed & isti minus feliciter calculum ponunt. Quanquam enim proportionem, jusque ad Beatitudinem in semetipsis non habuerint Parvuli, habuerunt nihilominus in Homine primo; & agnoscent, se primi Parentis culpa taptum bonum amisisse; imo vero, & jus novum ex Christi morte obtinuerunt Parvuli, quos ipse sincera Voluntate salvare voluit: & intelligent, se infauto casu a suscipiendo parato sibi remedio fuisse impeditos. Unde profecto ingens illis accedet doloris argumentum. Clamant Aliqui, aliena culpa, aut negligentia hoc illis infortunium accidisse. Ita certe: at id tristitia, dolorique causam nullatenus admittit. Si etenim Pater aliquis ob crimen laesae Majestatis amittat bona sibi, ac suis Posteris a Principe antea donata, nonne ejus Filii ingenti tristitia corripientur, quoties praesentem pauperiem cum amissa bonorum affluentia comparabunt? Quod autem aliena culpa in eum Statum deciderint Filii, pudorem quidem, sed non dolorem in eis minuet: imo istum longe magis augebit. Quanto certius id de Parvulis statuendum; quibus non tantum primi Parentis poena inflata, verum etiam transfusa culpa, ut re ipsa peccatores evaserint: unde & cum tristitia pudor eis adhaerebit; non tamen Conscientiae vermis, ut in damnatis Adultis; cum nullum Aetuale peccatum admiserint.

Immensus sim, si alia doloris, atque tristitiae argumenta in Pueris illis sine Baptismo sublati persequi velim, ut Augustini Sententiam a censuris, & calumnia vindicem. Haec indigitare sufficit. Sunt certe illi Pueri peccatores, culpa reatu infecti; nisi quis forte peccatum Originale inficiari omnino velit: sunt irae filii, vasa contumeliae, Deo exosi; nisi velimus Apostolo refragari. At numquid, quae, non dolet illos, quod tales ipsi sint, ac tales in aeternum futuri? Magna etenim foret illorum perveritas, si de peccato, & accessit sibi ira Dei, ac contumelia minime tristantur. Rursus a Deo non modo, ut

Auctore Gratiae, sed & uti Auctore Naturae sunt averfi; atque hoc quidem naturali lumine norunt. Sunt ergo miseri; & hanc ipsam suam miseriam experiuntur. Dolent igitur, atque tristantur, nisi illos truncos, ac stipites velimus esse. Demum sub Daemonum potestate degere Pueros illos in tenebris, & in angustiis, Ecclesiae Doctrina est; de qua in sequentibus multa dicam. Videbunt igitur Daemones; & horrescent: nec enim Daemonum aspectus oblectare, opinor, quemquam potest. Qui ergo Pueros illos a tristitia liberant, debent illos, si possunt, a peccato, ab ira Dei, & a potestate Diaboli liberare. Sed de his omnibus ne quidem Theologos illos cogitasse puto, qui eos a doloribus eximunt. Imo Pueros illos, si bene penditis, eodem in Statu collocant in altera Vita, ac si in puris naturalibus obissent; quod nemo prudens negaverit, absurdissimum esse. Nam & Homo in naturalibus conditus Dei conspectu in altera Vita minime fruetur. Nullum ergo ex Originali peccato damnium illatum Pueris arbitrantur Theologi illi, dum eis unicam Dei Visionem eripiunt, nullumque inde dolorem, tristitiaque succrescere fabulantur. Peccatum igitur Originale pro nihilo reputant: at non illud pro nihilo reputavit Apostolus.

De Poena Sensus in proxima Exercitatione differemus; & Augustini Sententiam ab injuria vindicabimus.

#### PRÆLECTIO VI.

D. Augustini Sententia de sensibilibus Infantibus absque Baptismo decedentium poenis a censuris, atque calumniis vindicatur.

Oppignorata ante dies aliquot fidem nostram in hac Theologica Exercitatione liberamus. Augustini Sententiam de sensibilibus Puerorum sine Baptismo decedentium poenis ab Olorum calumniis, atque censuris vindicandam aggredimur; ne in ea praepravi Controversia, quam adversus Pelagianos toties agitavit, debitos fines excessisse Doctorum Maximus videatur.

Id ut expeditius exequar, Augustini Sententiam paucis aperiam; & quid illam ad eam amplectendam impulerit, ob oculos ponam. Parvulos Originali peccato detineri probandum assumpserat SS. Doctor adversus Pelagianorum Errorem; magnumque Catholicæ Sententiae praesidium repecebat ex iis Christi Domini verbis Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei: & Marc. cap. 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Hinc Pueros ex aqua, & Spiritu Sancto non renatos aliquo peccato detineri colligebat; quippe qui a Regno Caelorum procul arcerent, & condemnantur, nisi salutaribus Undis renascantur in Christo. Telum hoc ut effugerent Pelagiani, reponebant, Pueros a Regno Caelorum quidem arceri; nec tamen inde consequens esse, ut ob peccatum aliquod eis inhærens cum Diabolo cruciarentur in Inferis; cum medius quidam Quietis, ac Vitæ Status esse possit, in quo nec Dei conspectu fruatur, nec æternis ignibus cruciarentur. Ad hæc Augustinus Argumentum adversus importunos Cavillatores instauratur Principium hoc incunctanter, ac firmiter posuit: non modo medium illum Quietis, & Vitæ Status a Pelagianis assertum fictitium esse; verum etiam Pueros non ablutos, non nisi in Infernis detineri, condemnari, æternis demum ignibus cum Diabolo torqueri, & cruciari. Id præsertim videre licet Lib. 3. ultimi Operis contra Julianum Pelag. cap. 199: ubi cum hæreticus Pelagianus

gianus hanc S. Doctoris Sententiam retulisset, ac velicasset: tantum ei (Parvulo) inest, ut possideatur a Diabolo, atque æternum mereatur incendium; eam Sententiam non modo uti suam agnovit Augustinus; sed & veram esse confirmavit subdens: Tu autem, qui eam (Parvuli Naturam) negas a Diabolo possideri, procul dubio negas a potestate erui tenebrarum. . . . Si autem non eruitur a potestate tenebrarum, & illic remanet Parvulus, quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur? Quod & aliis locis bene multis affirmat; quæ hic recensere longum esset.

Hanc Augustini Sententiam, quam plerique, ut severiorem, durioreremque criminantur, nulli patere censuræ, atque calumniæ aggredior demonstrandum: utpote quæ Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum adimplulatione muniatur; nihilque adversæ Sententiae, quæ passim in Scholis volitat, probabilitate cedat. Agedum; & nostram SS. Doctori advoationem quantulamcumque commodum adversus tam sacri, tam venerandi in Ecclesia nominis Obtruncatores.

Suam ipse Causam agit Augustinus Sermon. 294. de Baptismo Parvulorum cap. 3; ubi Christi Domini Orbem Terrarum iudicantis Sententiam recensens, Parvulos, qui ad extremum Judicium sunt advocandi, ad dexteram, vel sinistram constitutos observat; ut qui sacro Baptismo sunt abluti, Christi Regnum accipiant; qui vero non ita, in ignem æternum abeant cum Diabolo, & Angelis ejus. Venurus Dominus, inquit, & iudicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, & sinistram. Sinistris dicitur: ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Dextris dicitur: venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi. Hac Regnum nominat, hac cum Diabolo damnationem. Nullus reliquus est medius locus, ubi ponere queas Infantes. De vivis, & mortuis iudicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram: non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio: non te offendant, qui dexteram queris. Et te ipsum admoneo: recede de medio, sed noli in sinistram. . . . Qui non in dextra, procul dubio in sinistra: ergo qui non in Regno, procul dubio in igne æterno. Ita disputat Augustinus.

Vix dicas, quantum hoc Argumentum Scholasticos torqueat. Ac primo quidem, quod Factum attinet, de Augustini mente dubitari non posse arbitror, quin Parvulos non ablutos suppliciiis æternis cruciandos existimavit eo loci; cum illos unam, eandemque cum omnibus Reprobis Sententiam in Judicio habituros pronunciet; & in ipsum ignem æternum ituros cum Diabolo, & Angelis ejus, in æternum a Christo Domino maledictos. Quod vero Jus attinet; num videlicet Assertionem suam recte probaverit Augustinus, sunt qui contra ipsum disputare malint, quasi ea Christi iudicantis Historia sit abusus, quam tanti Magistri Auctoritati credere, fidesque Victori submittere. Quare Parvulos in extremo Judicio iudicandos Aliqui negant, Augustino quantumlibet asserente. At ii minus profecto sapiunt. Judicium extremum de Parvulis etiam habendum significat Joannes in Apocalypsi cap. 20. Vidi mortuos magnos, & pusillos; stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt. . . . & iudicati sunt mortui. En Pusillos non fecus, ac Magnos ad iudicium vocatos. Rursus Beati, qui longe post Augustinum floruit, Parvulos secundum Catholicam Fidem iudicandos esse profiteretur in Preliminari ad Sacrum Codicem Cantuarum prope finem: Quod dicit (Julianus Pelagianus) non aliunde alios iudicari, nisi quia in Serry Tom. IV.

eadem natura dispar voluntas sit. . . . contradicit Catholica Fidei, quæ etiam Parvulos esse iudicandos constituit; eos, qui in eadem natura positi, priusquam aliquid boni, mali que facere, aut velle, aut saltem nosse poterant, sine Baptismo rapti sunt. De iudicio ergo a Pueris subeundo dubitare nefas est. Quapropter Alii aliquanto melius consulti Parvulos in Judicio comparituros fatentur quidem, sed Causam illorum discutendam omnino negant: futuros illos in sinistra Judicis, communemque cum Reprobis Sententiam habituros diffidentur; sed medio quodam loco collocandos effutiant; ut sic tota Augustini in Pelagianis Argumentatio in fumum abeat. Verum nec II veritatem attingunt. Et certe discutenda ne sit Puerorum Causa, non moror hic: Difficultatulum illam non attingit Augustinus; nec eam attingere operæ pretium illi erat. At futuros Parvulos illos in sinistra Judicis, communemque cum Reprobis Sententiam subituros, quovis medio loco, medioque Judicio sublato, veritas est; nedum ab Augustino (quem Judicem respuunt) propugnata; sed & a Romanis Pontificibus, qui contra Hæresim Pelagianam decertarunt; a Conciliis, quæ eandem sacris Canonibus confoderunt; a Patribus denique signa conferentibus comprobata: ut plane perspicuum sit, injuriam Augustinianæ Argumentationi illatam in universam Ecclesiam resillire.

Audiendus Gelasius I. Rom. Pont. in Epist. ordine 7. ad omnes Episcopos per Picenum (apud Labbeum Tom. 5. pag. 304.) ubi Senecam delirum Senem Pelagianum ita carpit: De Parvulis autem quod asserit (Seneca Pelagianus) sine Sacro Baptismo pro solo Originali peccato non posse damnari, satis impia, satis prophana Propositio est. Et post pauca: Nihil est ergo, quod dicant (Pelagiani) quod non renati Infantes tantummodo in Regnum Caelorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur, dum sine Baptismo Corpus, & Sanguinem Christi nec edere valeant, nec potare: sine autem hoc vitam in semetipsis habere non possunt; sine vita vero non nisi mortui sint futuri. Dicantur igitur in morte perpetua constituti, si non asseruntur esse damnati. Tollant ergo de medio ne scio quem ipsi tertium, quem decipiendis Parvulis faciunt, locum. Et quia non nisi dexteram partem legimus, & sinistram; illos faciunt in sinistra regione sine Baptismo remanere; sed baptizatos sicut ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri. Ita plane Augustini Sententiam de æternis Puerorum cruciatibus non modo Gelasius amplectitur, uti cernitis; sed & illam Augustinianam Argumentatione confirmat; quod nempe nullus alius Parvulis non renatis locus superfit, nisi sinistra supremi Judicis; quam in partem versus Sententiam sit prolaturus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus: omnique medius locus vacat.

Audiendi Episcopi Africani in Concilio Carthagine contra Pelagianos habito initio anni Christi 418, quod plenarium vocat Augustinus Epist. 215. ad Valentinum, quod videlicet ex omnibus Africa Episcopis coalesceret: in eo itaque conditus fuit Canon iste inter Africanos Canones ordine septuagesimo octavo, apud Labbeum Tom. III. pag. 528. (qui licet in eorumdem Canonum serie non invenitur repositus, reponi tamen debuit, propterea quod, uti notant Surius, & Binius ibidem, quidam perveritissimus Codex eo in loco hujusmodi Caput inserunt habere) Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum: in domo Patris mei mansiones multe sunt, ut intelligatur, quia in Regno Caelorum erit aliquis medius (non enim legendum est melius, ut ibidem impressum est) aut nullus.



lus alicubi locus, ubi beate vivant Parvuli, qui sine Baptismo ex hac Vita migraverunt, sine quo in Regnum Cælorum, quod est Vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. At nec id satis. Si enim nihil aliud addidissent Africani Præfules, suas pannulo huic distinctiunculas facile fuerent Scholasticæ recentiores; atque illico responderent, negari duntaxat ab eis medium locum, ubi Parvuli beate vivant. Verum Effugium præcludit omne, quod sequitur e vestigio. Subiungunt enim: Nam cum Dominus dicat, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum, quis Catholicus dubitet, participem fore Diaboli, qui coheres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret. En hic rursus, ut videtis, Parvulos non ablutos factos Diaboli participes; quod præter dexteram, & sinistram nulla futura sit altera Pars in extremo Judicio; sinistramque procul dubio Partem occupaturi sint Parvuli, ut in ignem æternum Diabolo, & Angelis ejus præparatum abeant, quia dexteram Partem obtinere non poterunt.

Audiendus demum gravissimus perinde, & antiquissimus Auctor Hypomnesticon, viugo Hypognosticon; qui Pelagianos adeo feliciter exagittavit, ut a Multis pro ipsomet Augustino sit habitus. Is Lib. 3. cap. 5. nedum medium illum locum a Pelagianis pro Parvulis non ablutos ex cogitatum eliminat eodem, ac Augustinus, Argumento; verum etiam illos in igne æterno colcat cum iniquis, ac in ipsa gehenna, ubi fletus erit, & stridor dentium. Da mihi præter hunc (Regnum Cælorum) alterum locum, ubi vita possit requies esse perennis. Primum enim locum Fidei Catholicorum Divina Auctoritate Regnum credit esse Cælorum; unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: secundum, gehennam, ubi omnis Apostata, vel a Christi Fide alienus æterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus; imo nec esse, in Scripturis Sanctis invenimus. Finge, Pelagiane, locum ex Officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Christi Gratia vitam requies, & glorie possidere Parvuli possint. Dextera est iusti fœderis Judicis (observate hic quæso, qualiter Augustini Argumentationem usurpet) & sinistra; Regnum est, & gehenna; vita est, & mors; iusti sunt, & iniqui. In dextera igitur iusti sunt constituti; in sinistra Operarii iniquitatis: in Regno requies Baptizatorum; in gehenna pena incredulorum; vita ad lætitiæ glorie; mors ad fletum, & stridorem dentium. Iusti in Regno Paris cum Christo; Iniqui in igne æterno parati Diabolo, & Angelis ejus. . . . qui baptizatus ergo non est, in iis, que sunt Regni Cælorum, non potest reparari: & si non ibi, quia vere non ibi, putas ne Pelagiane, jam sentis ubi? Aut certe dic ubi.

Stat ergo Augustini Sententia de sensibilibus Puerorum pœnis: stat & prima ratio ex Christi Judicio petita, qua illam munivit, ac confirmavit; nisi forte Romanos Pontifices, sacra Concilia, & Patres Hæreticos Pelagianæ debellatores perpetram argumentatos existimemus.

Sed quid tandem obrudunt Augustini Obretractores, ut futilem, nullamque illius Argumentationem esse probent? Audiemus. Sententia, inquit, ultimi Judicii in eos pronunciata, qui ad sinistram collocabuntur, & in æternum ignem cum Diabolo ablegabuntur, in Parvulos non ablutos cadere nequaquam potest, si Sententiæ rationem ab ipso Judice ferendam audiamus; subiungit quippe Judex: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; aliaque id genus Misericordiæ Opera subne-

git, a quibus exercendis abstinerat. Maledicti æternis ignibus deputati. Quæ, cum in Parvulos minime quadrent; ita nec Sententia damnationis a Judice pronunciata ad eos protendi ulla ratione potest.

At suo fe laqueo implicant, qui Augustinum istiusmodi Argutia implicandum existimant. Si quid enim evincit Argutia hæc, ut Parvulos Saero Baptismo non ablutos eam Christi Domini Sententiam minime subituros demonstrent, evincet pari soæ, Parvulos sacro Baptismo tinctos ad Regnum Cælorum percipiendum a Christo Judice vocandos non esse; cum nec in illos quadrate possit, quod de Electis in extremo Judicio proferet Index: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; aliaque id genus Misericordiæ Opera, quibus exercendi idonei nunquam fuere Pueri abluti, & ante Rationis diluculum Mundo sublati. Plus dico: si quid eo Sophismate extundi possit adversus Augustini Argumentationem, consequens profecto esset, ob sola neglecta Misericordiæ corporalis Opera æternis ignibus addicendos esse adultos Homines. Etenim ea sola recenset Christus Dominus: cum tamen damnari bene multos Homines constat ob alia cum Carnis, tum Animi vitia, quæ recensere hic longum esset. Infeliciter ergo in Augustinum Ingenium acunt, qui hoc illam telo petunt. Sciant itaque, alium esse hujusce Oraculi sensum; & Christum a majori Damato rum parte intelligendum. Cum enim uniuscujusque damnationis causas minutatim recensere in ea brevi Peroratione non posset, e omniumque, & quæ Audientium capiti magis esset accommodata compendio retulit; cæteris propemodum infinitis silentio missis; ut ex ea sola, quam recensere Christo libuit, damnationis causa cæterorum Adulorum demerita, Parvulorumque non ablutorum sortem quadam proportionem dignosceremus.

Erit fortasse, qui Apostoli 2. ad Corinth. cap. 5. scribentis Oraculum ostendet: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, sicut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum; ut hinc colligat, solos Adultos, qui propria sive bona, sive mala in corpore gessere, ad ultimum Judicium accessuros.

Sed id frustra nobis obrudit: etsi enim illos Judicio sistendos dicat Apostolus, non tamen solos, nec alios ullo pacto seclusos voluit. Quamquam etiam & eo ipso Oraculo comprehendit Parvulos observat Augustinus epist. 217. ad Vitalem cap. 5. Sententia 8. Scimus, inquit, Parvulas secundum ea, que per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum. Gesserunt autem non per se ipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renuntiare Diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero Fidelium computantur; pertinentes ad Sententiam Domini dicentis, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit, quod sequitur, qui autem non crediderit, condemnabitur. Unde & ipsi sicut dixi, si in illa parva ætate moriantur, utique secundum ea, que per corpus gesserunt, id est tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora Gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt. Hæc Augustinus. Neque obest quod ait Apostolus loco laudato: Ut referat unusquisque propria corporis; nam & Originale peccatum, quo Parvuli tenentur obstricti, unicuique propagatione, non imitatione transfusum, sit proprium, ut sancit Concilium Tridentinum Sess. 5. in Decr. de pecc. Orig.; nec nisi Gratia vere in hærent, & propria Sanctitate purgatur.

Alia

Alia Augustini Argumenta in sequentibus persequemur, & ab Emulorum Cavillationibus vindicabimus.

## PRÆLECTIO VII.

Alia D. Augustini Momenta de sensibilibus Infantium pœnis expenduntur, & adversus malignos Obretractores vindicantur.

Cæptam in antehabitis de puerorum sine Baptismo decedentium pœnis gravissimam Tractationem Augustino duce, & Auspice felicissimo persequemur. Torqueri illos æterno igne cum Diabolo, & Angelis ejus ex Christi Domini Terrarum Orbem iudicantis Historia satis, opinor, in antecessum demonstravimus: importunas quoque quorundam Theologorum Cavillationes, quibus telum hoc elidere nitebantur, Conciliorum, ac Romanorum Pontificum Auctoritate dissipavimus. Nunc alterum Augustini ex Ecclesiæ Disciplina petitum Argumentum urgendum aggredimur, & adversus quorumcumque obretractationes vindicandum.

Pergit itaque, quo pede cœperat, Augustinus; utque Parvulos Originali peccato faucios, & sacro Baptismo non ablutos æterno supplicio multandos in Inferis probet, eos sub Diaboli potestate detineri, æternamque ab illo detinendos ostendit, nisi sacro Baptismo transferantur de potestate Principis tenebrarum in Christi Lumen, & Regnum. Quocirca totam Argumentationis suæ vim petit SS. Doctor ex veteri Ecclesiæ Disciplina, quæ ad nostrâ usque tempora promanavit: quæ videlicet Parvuli Originali peccato detenti prius Exorcismis, & sacris Exultationibus eventulantur, quam salutari Lavacro mundentur: adeo scilicet verum est, illos Originalis peccati demerito a Diabolo possideri. Urget hoc Argumentum clarissimum Gratia Vindex Lib. 3. ultimi Operis contra Jul. cap. 199. Exsufflatur autem Parvulus; inquit, in Exorcismo priusquam baptizetur: exsufflatur igitur vere imagines, non Regis cuiusquam, sed Dei. Imo vero exsufflatur Diabolo, qui contagione peccati tenet Parvulum reum, ut illo foras misso Parvulus transferatur ad Christum. Exsufflatur itaque Juliani amentia, non Marcellæ ira in Parvulorum mundatione, & exsufflatione dicatur Ecclesiæ. Si autem non eruitur a potestate Tenebrarum, & illic remanet Parvulus; quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur? Non absimilia habet Lib. 5. ejusdem Operis imperfecti cap. 6. Lib. 6. cap. 20. & Lib. 1. de Nupt. & Concup. capp. 23. & 24.; ubi Pueros illos damnabili Diabolo subjugatos, & eos Diabolum eos tenere ostendit, nisi in illo renascantur, quem sine Concupiscentia Virgo concepit; scilicet per regenerationis Sacramentum.

Nunc quam bene sibi ea Augustini Argumentatio coherat; quam belle Institutum evincat, & probet, iis manifestum fore arbitror, qui singula Capita minutatim expendierit. Stat enim imprimis inconcussum Principium, cui tota nititur Argumentatio; Parvulos scilicet Originali peccato detentos a Diabolo possideri, ejusque tyrannidi traditos esse. Id evincunt imprimis Exorcismi, & Insufflationes illæ, quibus a sacris Ministris eventulantur antequam sacro Baptismo initiuntur, ut ab eis immundus Spiritus abigatur. Leguntur istiusmodi Insufflationes, & Exorcismorum formulæ in Rituali Romano, quæ Diabolum in Parvulorum Animabus, tanquam in proprio domicilio, inhabitare plus satis innuunt: Exorcizo te immunde Spiritus; inquit Sacerdos,

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut exeat, & recedas ab hoc famulo Dei. . . . Ipse enim tibi imperat, maledicte dammate. Et post pauca; ergo maledicte Diabole, recognosce Sententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero; da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto: & recede ab hoc famulo Dei; & alia id genus multa, quæ, ne vos plus nimio deterram, mitto lubens.

Hoc idem Augustini Principium, Parvulos scilicet sub Diaboli tyrannide detineri, evincit Concilium Tridentinum Definitorio Sess. 5. de peccato Originali; ubi tria ex Adami peccato, quo Parvuli illi detinentur, consecutaria esse decernit: Iræ, & Indignationem Dei; Mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus; & cum Morte Captivitatem sub Diaboli potestate. Hinc vulgatum illud Apostoli Oraculum, quo omnes Homines ex uno Adami peccato Diabolo traditos docet, etiam obsignato Chirographo; ad Coloss. 2. Consepulti estis (Christo) in Baptismo. . . . delens, quod adversus nos erat, Chirographum decreti. . . . Et expoliatis Principatus, & Potestates. Et ejusdem Epistole cap. 1. Qui eripuit nos de Potestate Tenebrarum, & transfudit in Regnum Filii dilectionis suæ, Et expressit ad Hebræos cap. 2. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini; & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

Jam eo firmiter statuto Principio, plana, aperta est prima Augustini illatio ex eo derivata: Pueros scilicet æternam sub Diaboli captivitate mansuros. Si enim ob Originalis peccati maculam jus in eos, ac tyrannidem Diaboli obtinet in hac Vita, tandem tyrannidem perdurans necesse est, quamdiu eis adhaerebit Originis macula. Qui porro neget, perpetuo illis maculam adhaerentem, quibus nunquam Baptismatis Sacramentum, quo uno abtergi illa potest, conferendum est?

Porro perpetua Dæmonis in Parvulos illos tyrannide posita, perpetua captivitate, ac possessione semel admitta, quis neget, illos a tam crudej Tyranno pœnis perpetuis afficiendos esse; cum vel hæc sola captivitas gravissima pœnis loco haberi debeat? Pone E. G. Principem aliquem Filios Subditi alicujus non solum exilio multare, & paterna etiam Hereditate privare; sed illos quoque Tyranno cuiuspiam in mancipia divendere, non exigua sane esset postrema illa captivitas pœna. At nulla peior, nulla acerbius, nulla atrocior captivitas fingi potest, quam quæ sub tyrannide Diaboli sustinetur. Hinc carceribus, locisque tenebrosissimis Parvuli detinentur, vasa contumeliæ, & ignominia in domo Diaboli computantur, de eius Familia numerantur; & quod omnium sensibilibus malorum compendium est, secunda Mortis pœnam eluunt: Aut si Evangelicis vocibus (inquit Augustinus Lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. ad Bonifacium cap. 22.) cogimur confiteri, nec vitam salutemque posse habere Parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati; quæritur cur compellantur non baptizati secunde Mortis subire supplicium, iudicante illo, qui neminem damnat immeritum; & invenietis, quod non vultis, Originale peccatum. Quid porro secunde Mortis nomine intelligendum venit, declarat dilectus Discipulus in Apocalyp. cap. 20. Et Insuper, & Mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est Mors secunda. Et qui non inventus est in Libro vite scriptus, missus est in stagnum ignis. Vultis aliquid apercius, aliquid luculentius?

Quid



Quid ad hæc vero misericordes, ac pii, ut videri quidem volunt, recetiores Theologi; quibus displicet Augustini Sententia? Catharinus præceteris ingeniosus (ne quid aliud dicam) & in obrutendis Paradoxis admodum liberalis; Parvulos non ablutos in hac quidem Vita sub Diaboli potestate degere proficitur: eosdem illos ab ea tyrannide liberandos ait in die Judicii; ut nihil juris deinceps Diabolus in eos obtineat. Catharinus, tametsi Prædicatorum Ordinis Professoris, calculum flocci facio; utpote quem ob nimiam novandi libidinem a Schola Thomistica rejectum novi; & de quinquaginta Propositionibus a communi Theologorum Sententia peregrinis a quodam Ordinis Prædicatorum Magistro magnæ utriusque excommunicationis, ut ipsemet innuit in Libello infra notando, accusatum coram Paulo III. anno 1546, dum ad Episcopatum Minoricensem designatus est. Et quidem hæc ejus Responso, ut erudite notavit Bellarminus, a Viro Catholico defendi minime potest: An enim Parvulos in extremo Judicio baptizandos opinatur Catharinus? Aut ab Originali peccato novo quodam Divinæ Gratiæ portento liberandos; ut jus in illos Diabolus amittat, & fatale Chirographum deleatur? Id si velit, Theologia moxstrum invehit Catharinus. Quæ etenim Synodi, qui Patres talia somniant? Si autem tunc etiam peccatum Originale illis adhæserum arbitrat (ut debet; si vult esse Catholicus) dicat, qua sorte in hæcæ præsentis Vita, (quæ Divinæ ultionis tempus non est, sed patientiæ, quæ Deus vasa iræ sustinet) sub Diaboli tyrannide Parvuli detinentur Originale peccato demerito; & ab ea tyrannide in die ultionis & iræ sint liberandi. Aliter profecto sentit D. Fulgentius Lib. 1. de verit. Prædest. cap. 14. Causa vero (inquit) Misericordiam, atque Memoriam, qui sine Baptismate cursum vite presentis infidelitate consummant, quantum attinet ad Communionem Originale peccati, una est: Ex hac utriusque ibunt in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; quia in eis Chirographum, quo sibi eos Deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris Gratiæ non delevisit. Quo quidem nihil ad Catharinum Figmentum exfuffandum; nihil ad Augustini Sententiam confirmandam, ac munendam luculentius afferri potest.

Idcirco Alii melius consulti alio confugiunt, ut Augustiniani Momenti vim, ac robur elidant. Reponunt quippe Nonnulli, Parvulos sub Diaboli potestate detineri, nihil aliud significare, quam esse illos Peccatores. At id tam falsum est, quam quod maxime. Imprimis enim aliud longe sonat Peccatorum esse, aliud esse Captivum; Captivitas enim peccati stipendium est, ac necessarium confectarium: sicut si quis Princeps Subditum ob crimen aliquod in Tyranni alicujus potestatem traderet. Quamquam autem quicumque Peccatores aliquo sensu sub Diabolo esse dicantur, peculiari tamen, ac specialiori quodam jure sub ejus potestate dicuntur esse, qui Originali peccato tenentur. In hos enim velut in propria Mancipia jus plenum, & integrum Diabolus habet. Si a Diabolo per inhabitationem vere possidentur: unde & Exorcismis, & Exfuffationibus immundum Spiritum abigere necesse est, antequam baptizentur. Quorum autem Spiritus immundus abigeretur, nisi esset intus in Parvulis? Quibus tamen Exorcismis, & Exfuffationibus Ecclesia non utitur ad absolvendum Peccatorem vel omnium pessimum; sed tantum in sanandis Energumenis, qui per veram inhabitationem intus a Diabolo possidentur. Discriminis hujus ratio est, quia Peccatores, quos sacri Baptismatis Unda tetigit aliquando, de Christi Familia deputati

fuere; ratione Baptismatis de corpore Ecclesiæ sunt, si Fidem habent, certe aufundantur Ecclesiæ, si Fide careant per Apostasiam vel Parentem, vel propriam, Ecclesiæ vero Caput est Christus. E contra, qui Originali peccato detinentur nondum abluti, nunquam in Christi Familia translati fuerunt; nunquam inter ejus Membra computati sunt; atque idcirco integrum in eos dominium, jus plenum Diabolus obtinet; non ut illos nunc sensibili obfessione, velut Energumenos, in corpore torqueat; sed ut jure Capitis, ac Domini illos inhabitet, donec Exorcismis nefarius Princeps alligetur, mittaturque foras, ut in Christi possessionem Mancipia transferantur. Expressit id eleganter Gelasius Romanus Pontifex in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos: Unde cum de propriis actibus nullo reatu teneatur obstrictus (Infans) nihil restat, nisi ut sola sit vitiosa naturæ pollutus; & si non fuerit Mysteriorum Christiani participatione mundatus, ad vitam non potest pervenire perpetuam. Hinc est, quod exfuffantur, & catechizantur Infantes; & quia in opere Dei, quod auctore suo bene sunt instituti, opus Diabolice malignitatis accessit, eruti de potestate tenebrarum, sicut docet Apostolus, ad Filii Dei sortem, purgationemque legitimam transferuntur.

Reponunt Alii, ut Augustini Argumentum efugiant, Parvulos non ablutos quodammodo sub Diaboli captivitate, & servitute detineri, quatenus Diabolus ex Originali peccato potestatem obtinuit tentandi Genus Humanum. At si profecto nesciunt, quid sibi velint. Quorum enim imprimis assuitur ab eis particula illa quodammodo? Ut quid temperamentum additur, quod nec Concilia, nec Patres, nec Pontifices adhibuerunt? Sic sane fallaci illo sermone (ut Augustini verbis utar Lib. 9. Operis ultimi contra Julianum cap. 20.) minuit vires ejus, nempe Diaboli, quem dicit Veritas sortem, Erroris enim faciunt ad obtinendos Parvulos fortiores.

Quorum etiam Parvulos non baptizatos ea duntaxat sensu sub Diaboli potestate positos dicunt ob Originale peccatum, quia Diabolus potestatem inde obtinuit tentandi Genus Humanum? Id certe ineptum plane videtur. Quandoquidem Pueros in hac Vita tentare nequit, cum nihil illi velle, aut nolle possit: & e contra Hevam tentare potuit, tentavitque re ipsa; quæ tamen sub ejus potestate non erat. Aliud ergo est Dæmonis imperium, illi Originalis peccati jure assertum; aliud Homines tentandi facultas. Quid etiam, quod Homines Sanctos quotidie tentat? imo & omnino innocentes; antequam scilicet peccatum ullum admiserint; ut nonnunquam contingit in ipso primo Rationis usus instanti; in quos quidem imperium exercet nullum? Quid quod & Christum tentare permissus est; in quem profecto nec imperii, nec juris cuiusvis vel umbram aliquando habuisse, certissimum est? En quam futillis illa sit, quam incongrua recetium quorundam Theologorum Responso, verius dixerim, ineptissima Cavillatio.

Erit fortassis, qui pari insulsiatate reponat, Dæmonem exercere quidem tyrannidem suam in Parvulos illos in presentia, eandemque perpetuo duraturam; verum non esse idcirco consequens, ut illos valeat ad arbitrium torquere, & quibuscumque liberet penis afficere. Ita profecto, ita fit: neque etenim nos contendimus, ut illos pro suo libito torqueat; alioquin Tyrannus truculentissimus, modum nesciens, ultra Justitiæ debitum eosdem miclaret, atque torqueret. At nihil ab eo torqueri illos, liberalius est, quam ut possimus admittere. Cur enim illos tam immani Tyranno in penam Deus tradidisset, si nihil affligi

gi

gi ab ipso possent? Si nullam ii miseriam, incommodum nullum sub ea tyrannide paterentur? Quare duntaxat, miseramque servitutem eam Patres ubique passim appellant; maxime vero Augustinus Lib. 14. de Civit. Dei cap. 15. Demus itaque, non omnia Dæmonem in eosdem exercere posse supplicia: quis tamen ita despiat, ut nihil illum exercere dicat, cui & ferissimum inest indoles, & in Humanum Genus odium implacabile, & mille nocendi artes præsto esse, experientia ipsa quotidie testatur.

Verum & hæc omnia ultro permittamus: demus, si volunt, Dæmonem Pueros illos ipsius tyrannidi subjugatos nullis novis penis afficere, nullis extraneis suppliciis affligere; an non sola ipsa servitus pena erit, eaque præter modum sensibilibus, molesta, gravissima; tametsi alia nulla exinde mala succrescerent? An non, quæso, Dei Imagini contumelia erit, atque ignominia, & quidem intolerabilis, atque adeo sensibilibus pena, sub Diaboli tyrannide detineri? An non penæ suppliciorum genus erit, carceribus, locifque tenebrosis perpetuo concludi, ubi veluti strigites nec videre, nec olfacere, nec gustare quid possint, cum propriis Corporibus eorum Animæ conjungantur? An non gehennæ loco, & quidem molestissima, habenda erit societas Dæmonum? Nisi forte quis ita despiat, ut illam suavem, & gratam velit esse. At mitiores profecto sumus, quam æquum sit, si nulla putamus esse hujus tyrannidis confectaria. Imo hæc primum, ac velut individualum esse volunt Ecclesiæ Patres; illos æternis cruciatibus, & interminabili incendio una cum Tyranno suo deputari. Quod in Sequentibus, congestis Veterum Testimoniis demonstrabimus; ne unus, ut perperam Aliqui putant, Augustinus in severiorem illam Sententiam descendisse videatur.

## PRÆLECTIO VIII.

D. Augustini Sententia de pena Sensus sine Baptismo decedentibus intelligenda cæterorum Patrum Auctoritate confirmatur.

Quamquam sit illud D. Augustini in Ecclesia Catholica Nomen, ut nulli calumniam Sententia illa patere possit, quam ab eo vindicatum fuisse constitit; ne tamen in ea, quam hæcenus agitavimus, Controversia de sensibilibus Puerorum sine Lavacro decedentium penis solus Augustinus ita sensisse videatur; cæterorum Ecclesiæ Patrum Suffragationem advocandam existimavimus. Erit id Causæ, quam hucusque vindicavimus, opportunum; ut sua tandem præjudicia deponant perique Theologi recetiores; qui, si in Patrum Voluminibus evolvendis tantum studii, atque laboris posuissent, quantum in congerendis Dialecticarum Institutionum Argumentis impenderunt, D. Augustini Sententiam non adeo despexissent; nec Pueros sine Lavacro sublato a pena sensuum tam liberaliter absolvissent.

In qua quidem obeunda provincia, ne actum reagere videamur, non morabimur hic Romanos Pontifices Cælestinum, ac Gelasium; quorum grandia Nomina in Augustinianæ Sententiæ præsidium jam appellavimus; venerandos Carthaginensis Synodi Patres, quorum Suffragia jam pridem attulimus, missos etiam faciemus; ut ad ea nos rovecemus veterum Patrum Oracula, quorum nullam hæcenus in hæcæ præsentis Concertatione mentionem ingessimus.

Prodeunt primi in ordine, seu verius turmatim consueunt D. Augustino suffragaturi Episcopi

Africani numero quindecim in Sardiniam vertente sæculo VII. ob Fidei Confessionem relegati; qui a nonnullis Monachis de Christi Gratiæ Sententiam rogati Librum de Incarnatione, & Gratiæ communi consilio ediderunt, ut ad Interrogata satisfacerent. Extat Liber ille inter Opera S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, qui in eo exarando publicis Collegarum suorum Amanuensium extiterat. Porro in trigesimo hujusce Voluminis Capite Pelagianorum adversus Ecclesiam obmurmurationem proponunt sanctissimi Præfules Africani his verbis expressam: Quomodo Infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat (Deus) æternam Salutem, quorum bonam nec expectat, nec invenit Voluntatem? Item quomodo alios sine Baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat (notate verba) cum in eis nullam culpam male Voluntatis inveniat? Ita nimirum de Catholicorum Doctrina querebantur Pelagiani; iniquum scilicet reputantes, ut æternis cruciatibus damnentur Parvuli sacro Baptismate non abluti.

Quid ad hæc porro respondent Africani Præfules? An forte negant, Parvulos sine Baptismate mortuos æternis cruciatibus condemnari? Certe tempus erat, ut id reponerent, si vulgarem, quæ passim in Scholis nunc volitat, Opinionem ebibissent: nihil enim commodius occurrere poterat, ut Obmurmuratoribus ora præcluderent. At e contra, Pueros æternis cruciatibus torqueri reponunt; nec tamen idcirco Deum injustitiæ argui posse: Nonne istos (Responso illorum est) inimicos Gratiæ, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium Parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate, vel malitia Voluntatis alios vident potiri Regno, alios interminabili deputatos incendio? En Pueros Sacro Baptismate non ablutos interminabili incendio deputatos agnoscunt.

Quid ad hæc Recetiores? Quam quæso huic Oraculo distinctionem accommodabunt, ut eisdem Auctoritatem elidant? An forte interminabili incendiis, & æternis cruciatibus nomine intelligendam iniquitatem Divinæ Vifionis privationem, ac præterea nihil omnino? Festiva profecto interpretatio illa foret, ac bella quidem; pro qua tuenda novam Grammaticam cadere necesse fit; quæ nativam verborum potestatem immutaret. Sed & suam suorumque Collegarum Sententiam clarius adhuc expressit idem ille S. Fulgentius cap. 14. Lib. 1. de veritat. Prædest. & Gratiæ: Causa vero, inquit, Majorum, atque Minorum, qui sine Baptismate cursum vite presentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem Originale peccati, una est: Ex hac utriusque ibunt in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, quia in eis Chirographum, quo sibi eos Deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris Gratiæ non delevisit. Sic sane, quod alio in Libro interminabile incendium, æternumque cruciatum vocaberatur, ignem hic Diabolo, & Angelis ejus præparatum appellat; ignem, inquam, quo simul Infideles cæteri cruciantur: in quem tamen Parvulos solo Originali peccato detentos ituros pronunciat; ut nulli plane Cavillationi locus ille jam pateat.

Inveni tamen, qui nodum adhuc in hoc scipio quarat, Virum, inquam, de Schola Subrili (Macedo) qui asserit: ituros Parvulos in ignem quidem ex hoc loco liquet; sed an illum sine perpeffuri, non liquet. Verum inquit ego: quorum irent, illucque uti maledicti mitterentur, nisi ut arderent? An forte illos in ignem mitti putat, ut ludos ibi, & choreas agant; ut equitent in arun-



arundine longa? Sed & hanc etiam vana subtilitatis Argutiam occupavit SS. Pater, dum ait, eos interminabili incendio deputari. Incendium quippe non ignem duntaxat sonat, ut dicam, otiosum, sed in subiectam materiam agentem. Quid etiam quod statim ibidem subiungit Fulgentius: reddet unicuique (Deus) secundum opera sua: ut non solum pro Originali peccato eternis ignibus ardeant, quibus arsi sunt sine Baptismate morientes etiam Parvuli, qui nihil boni, aut mali egerunt: sed etiam pro sua Voluntate mala tanto deterius torquantur, (Adulti) quanto amplius proprie iniquitatis adiciunt? In iis ergo eternis ignibus ardent Parvuli, quibus torquentur Adulti, iudice S. Fulgentio, tamen Adulti multo plus ardeant, qui mala propria iniquitatis adiciunt. Si autem ardent Parvuli, ignem utique perpetiuntur. Ex quo pariter videas, quam sit futile, quod Alexander Aletis effudit: Pueros illos ituros in ignem ratione tenebrositatis, non ratione ardoris, & adustionis: hoc est, Pueros non arduos, nec adustionem passuros, sed tenebras tantum: cum contra arduos illos, & interminabile incendium perpeffuros affirmet D. Fulgentius.

Quid plura? Uique adeo primis temporibus in Ecclesia Africana certum erat, Pueros sacro Baptismate non ablutos in Inferis poena sensibili castigari, ut id inter Fidei Dogmata haberetur. Res in propatulo est. Cum etenim S. Fulgentius a Petro Diacono Viro longe doctissimo rogatus esset, ut brevem Catholicæ Fidei Synopsin ederet adversus Hæreses toto pene Oriente grassantes, quadraginta Dogmata ad Fidem Catholicam attententia in Librum retulit, cui titulum dedit de Fide ad Petrum, Horum autem Dogmatum vigesimum septimum his verbis expressit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum Homines jam ratione utentes, verum etiam Parvulos, qui sine in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sine cum de matribus nati sine Sacramento Sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia est proprie actionis peccatum nullum habuerunt, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & naturitate traxerunt. Quæ verba Lectore duntaxat indigent, non Interprete; ut Omnes intelligant, Africanam Ecclesiam Augustini Sententiam de sensibilibus Infantium poenis non modo tenuisse; verum etiam inter Fidei Dogmata recensuisse. Adeo scilicet procul aberant a recentium Theologorum Opinione, qui Parvulos tam liberaliter a sensibilibus poenis absolvunt.

Sed ab Africa transeamus in Palestinam. Prætererat non modo D. Fulgentio, sed & D. Augustino in eisdem Dogmatis assertionem S. Hieronymus, qui in Palestina cum Pelagio, veluti collato pede, certavit. Edidit ille Dialogos contra eundem Hæresiarcham; in quibus sub nomine Critobuli Pelagium, sub nomine vero Attici Virum Catholicum colloquentes induxit. Itaque in fine Libri tertii hæc objicit Pelagianus Interlocutor: Oro te; quid Infantuli peccare? Nulla eis delicti conscientia computari potest, nec ignorantia; qui juxta Jonam Prophetam manum dexteram nesciunt, & sinistram. Peccare non possunt; & possunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicam, balbutiens lingua ridetur, & tamen æterne miserie cruciatus miseris preparantur? En Pelagianus Interlocutor exprobrat Catholicis, veluti quid absurdum, Puerorum in alia Vita miseria, & cruciatus: perspicua verba sunt, ut cavillari nemo possit. Neque vero exprobrare Catholicis potuisset, quod Pueros illos poena Damni, & Exilii a Regno Cælesti multarent; nam

& ipsimet Pelagiani eodem illos Exilio condemnabant: de poena Sensuum Quæstio verteretur, de cruciatus, miseris quæ sensibilibus, ut verba sonant. Quid ergo reponit Hieronymus? Seu qui Catholicis partes agit in eo Dialogo? An forte quod Scholasticis nonnulli respondent: non est hæc Ecclesia Sententia, sed crudelitas? Haudquaquam: sed, ea Sententia silentio omnino prætermissa, ad Originale peccatum ex Apostoli Autoritate probandum transit: ut nimirum hinc quisque intelligat, eos æternæ miserie cruciatus, qui Pelagianis injusti videbantur, iuste a Deo etiam iis, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, infligi.

D. Hieronymo dat manus S. Gregorius cognomento Magnus Lib. 9. Moral. cap. 21. exponens verba illa Jobi cap. 9. Multiplicabit vulnera mea etiam sine causa: quæ quidem Parvulis accommodat sine Baptismate decedentibus; quibus in altera Vita vulnera multiplicantur sine causa, propria videlicet personali, quamvis non sine causa aliena, quæ tamen Naturæ facta fuit propria: Quos, inquit, quia a culpa Originis Sacramenta Salutis non liberant: & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci: aliud carnaliter enari. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, oculo eis, iustoque iudicio etiam sine causa (personali) vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, & qui nihil ex propria voluntate peccarunt. Et post pauca subdit idem SS. Pontifex: At ergo: in turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa: ac si aperte Humanæ Genetis damnata considerans dicat: districtus Iudex quæ eos animadversione trucidat, quos culpa proprie actionis damnat; si & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addidit. En plane Pueros sacro Baptismate non ablutos perpetuis tormentis adductos, & in æternum percussos. Quis id ad solam Divinæ Visionis privationem detorqueat, nisi verborum sensum omnino neget, ut inepias, & inconditas distinctiunculas sine criterio procedat, nobisque festive propinet?

Veniat jam ex Hispaniis S. Idorus Hispalensis Antistes. Is certo certius in hoc idem Augustini Dogma velis, remisit pergit Lib. 1. Differentiarum Differ. 26. circa finem, ubi hæc habet: Illud tamen tenendum est, Parvulorum Animas nexu peccati Originalis esse adstrictas; quæ nisi percipiunt Baptismatis Sacramentum, Regni Cælestis participes esse non possunt; sed cum carnis & commune habebunt peccatum, & pari iudicio damnabuntur in ignem æternum. Prætera Lib. 1. Sentent. de Baptif. & Commun. cap. 24. Pro solo, inquit, Originali reatu luunt in Inferno nuper nati Infantuli poenas, si renovati per Lavacrum non fuerint. Proinde Adæ causa nuper natus Infans, si non regeneratur, damnatur: quia Originalis noxietate perimitur. En quomodo hic pariter Parvulos illos, quos sine Baptismo, nulla eorum causa, decedere contigit, ad ignem æternum damnatos, & in Inferno luere poenas auditis. An hoc porro nil aliud cum Theologis recentioribus significare asseremus, quam Divini conspectus privatione mulctari Parvulos, & nihil ultra? Si ita sit, quæ tanta apud Patres verborum, & vocum inopia erat, ut eam Dei privationem ex nomine suo significare nequirent; eaque perpetuo loquendi formulas usurparent, quæ rem toto Cælo diversam exprimeret? Sed, ut fatear bona fide quod sentio, nova Grammatica Theologis istis est opus, ut Patrum Sententias, & Oracula suis accommodent Opinacionibus. Verum & id observare non pigeat, Idorum in primo laudato Loco duo

duo fati aperte distinxisse; Regni nimirum Cælestis privationem, Regni Cælestis participes esse non possunt, & ignis æterni poenam, pari iudicio damnabuntur in ignem æternum. En utrumque de Parvulis a S. Præfate pronunciatum.

Hispano Gallus etiam suffragatur; S. scilicet Idoro S. Prudentius Tricasinus Episcopus Lib. de Prædestin. cap. 16. Punio, inquit, bifariam dividitur; & nunc in absolute Anima a suo Corpore, comparata hujus prime prævaricationis merito, quod ab ipsa radice in omne Posteritatis ejus Genus transfusum, atque innatum est; & postmodum in gehenna, quæ tam hujus, quam aliorum multiplicitate criminum libidinis perveritate contractorum acquisita est. (in Biblioth. Max. Vet. PP. Edit. Lugdun. Tom. 15. pag. 550.) Nimirum gehennam tam Originalem, quam Actualis peccati perveritate acquiri docet eo loci Prudentius Episcopus. Si ergo gehennæ nomine solam Damni poenam indigitari putant Theologi quidam recentiores, (quod tamen nescio, an ipsa verborum vis patiatur) sola etiam poena Damni Actualia peccata puniri necesse erit. Sed & hoc Effugium felicitis præcludit Prudentius ipse verbis paulo infra subnexis: Extra Baptismi Gratiam morientes, non suo, sed Protoplasti peccato perpetua plexione damnantur. Nisi enim mea me Grammatica fallat, plexionis vocabulum poenam sensibilem Corpori insistant, quæ Homo plebitur, necessario significat, cum plexio a plectendo dicitur.

Claudid Patrum agmen, ut alios præteream, S. Anselmus Cantuariensis Episcopus, ne & Angliæ suppetias Augustino deesse quis putet. Is etenim Lib. de Concept. Virginis, & peccato Orig. cap. 22. hæc habet: Cum Nemo dubitat, quia par poena non sequitur impiorum peccata; in hoc tamen similia est & Personalis, & Originalis peccati damnatio; quia nullus admittitur ad Regnum Dei, ad quod factus est Homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in Inferno torqueri mereantur. Nam post diem Judicii nullus erit Angelus, aut Homo, nisi aut in Regno Dei, aut in Inferno. Plura alia hujusmodi videnda relinquere eodem in Libro cap. 27. Torquetur igitur in Inferno, qui unico Originali peccato interit moriantur; quamvis tamen inæquali tortura, ab iis diversa, qui Personalia admisere delicta: tortura nihilominus est, atque supplicium. Eo plane sensu, quo scriptis Augustinus ipse Lib. 1. de Peccatorum merito, & remiss. cap. 16. Potest proinde recte dici, Parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium misissima servuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, iudicium ex uno delicto in condemnationem: Et paulo post, per unius delictum in omnes Homines ad condemnationem. Id ipsum habet Lib. 5. contra Julianum cap. 11. & alibi passim.

Iis Patrum Dicitis ignixa Synodus Florentina in Definitione Fidei sic habet: Illorum autem Animas, qui in Actuali Mortali peccato, vel solo Originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen dispensatis puniendos.

Ecquis ergo, nisi in Patrum lectione peregrinus, & hospes omnino fuerit, eam Augustini Sententiam de sensibilibus Puerorum poena sanctissimi Doctores singularem, ac propriam appellaverit; quam non modo Africana Concilia suis Canonibus confirmarunt; non modo Rom. Pontifices, quos superioribus Tractationibus memorabam, sed & omnium Gentium Patres, antequam novæ Scholasticæ Opiniones procua essent, constantissime tradiderunt? Fulgentius in Africa,

Serry Tom. IV.

in Sardinia exules Episcopi, Hieronymus in Palestina, in Italia Gregorius Magnus, in Hispania Idorus, Prudentius in Gallia, Anselmus in Anglia; & alii alibi Gentium bene multi, quorum Suffragia appellare hic longum esset, ac proflus supervacaneum.

Audite qui dicant, Patres tam asperè, tam dure locutos, ut Pelagianam Hæresim, quæ Originale peccatum de medio tollebat, detestabilem redderent. Sit ita vero: Ergo ne, ut Pelagianam Hæresim detestabilem redderent, extremum alium Errorem proeuderent? Subiungunt, Patres duris illis loquendi formulis a me laudatis nihil aliud re ipsa significare voluisse, quam istiusmodi Pueros solo Patriæ Cælestis Exilio damnari. Bellum id profecto, atque festivum! Videndum an istud interpretamentum illorum verba, locutiones, ac phrasæ commode patiatur; alias non interpretamentum istud est, sed commentum. Rem porro longe aliter se habere, plus fati, opinor, demonstravimus; eaque ab illis usurpatis loquendi rationes ostendimus, quas, si quis Divinæ Visionis privationem interpretari velit, spero fore, ut & truncum, & lapidem interpretari Hominem aliquando liceat. Eos quippe Pueros interminabili incendio deputatos dicunt, æternis ardere ignibus, ignis æterni sempiterno supplicio puniri, damnari ad ignem æternum, Inferni poenas luere, torquerique cum Diabolo, & Angelis ejus, in æterna detineri gehenna, æternis cruciatus condemnari, æternæ miserie cruciatus castigari, ad æterna pervenire tormenta. Istud ne, per fidem vestram, solam æternæ Felicitatis privationem sonat? Quorsum etiam eo tantum collimarent Patrum phrasæ, ac loquendi modi, ut unicam Damni poenam, unicam Patriæ Cælestis Exilium Pueris illis decernerent; cum & id ultro Pelagianus ipsimet fateatur? Aerem itaque verberassent tot illi Hæreses Pelagianæ debellatores. Pelagianus quippe Christi Sententiam reverit, nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum, Pueros ipsos, quos etiam Originali peccato infectos negabant, a Regno Cælorum repellabant, nisi sacris Undis abluerentur. Damnas tamen Puerum (inquebat Augustinus Pelagium alloquens Sermon. 294. de Baptismo Parvulorum) quem separas a Regno Cælorum. Damnas: non eum percussit, sed in exilium misit. Ut hinc videamus, Pelagianos poena Damni, & exilii Pueros non ablutos muldandos existimasse; sed eo se recepisse, ut illos percutere, hoc est, sensibili poenæ plectere non auderent. Aliam ergo, quam poenam Damni probandum sibi sumperant Ecclesie Patres, qui eos Scriptis exagitarunt: nisi illos in hac una probanda poena defudasse velimus, quam Pelagiani sui fati sponte confitebantur.

Pudet alterum quorundam Theologorum Effugium refellere, cachinnis verius, ac sibilis excipiendum, quam seria animadversione confutandum: nempe reponunt illi, laudatos Ecclesie Patres in recitatis antea Testimoniis poenas speciem posuisse pro genere; hoc est, cum Pueros simpliciter puniri aliquo poenæ genere dicere vellent, relicto communi, ac generali poenæ nomine, specialia nomina tormenti, cruciatus, supplicii, gehennæ, ignis æterni, atque incendii usurpasse, speciem loco generis inscribendo. Quid hoc est, rogo vos, nisi Patres novam sibi finxisse Logicam, Grammaticam inauditam, ut verbis contra propriam significationem uterentur? Eisdemque ignorantissimos, aut imprudentissimos fuisse? Ignorantissimos, inquam, si commune, ac generale, quod usurparent, poenæ nomen ignorarent: im-



imprudenter, si cum probe scirent, aliena tamen, ac diversa significationis nomina usurpant. Certe, si sic est, licuitque Patribus inter scribendum, disputandumque pro genere speciem ponere, nullum ferme erit illorum Testimonium, quod pari exceptione, atque suffragio non elidant. Si E. G. Dæmones, Reprobosque adultos æternis ignibus ardere, negare voluerit; mihi quævis quispiam Patrum, imo & Scripturarum opponat Oracula, quibus illos ignem pati, frequenter affirmant, quid ni perinde reposuero, speciem illos posuisse pro genere; ignem scilicet pro pœna qualicumque, quam Dæmones, & adulti Homines patiuntur; ab igne tamen longe diversam. Si debitas Sacramentorum Materias negare voluerit; aquam E. G. Materiam esse Baptismatis; oleum Materiam Extremæ Unctionis; panem triticum, vinumque ex Vite Materiam Eucharistiæ; mihi quævis quispiam Patrum, & Scripturarum opponat Oracula, quibus hæc ipsa, uti illorum Materias præfigurant; quid ni perinde reponam, Patres speciem posuisse pro genere; aquam pro quocumque liquore, oleum pro quocumque unctio, triticum panem pro quovis pane, ex quibusvis granis confecto, aut etiam panem, vinumque pro quovis cibo, potuque dixisse? Imo si Vivens aliquod, vel Animal quocumque sensitivum, Hominem appellare voluerit, ineptiam excusabo, quod pro more, & usu Patrum speciem nomen pro generis nomine usurpaverim. Hominemque pro Animali dixerim. Itane per fidem vestram liceat insanire? Appage ergo futile, ineptumque Suffragium a Theologis nonnullis excogitatum, ut disertissimis, explicatissimisque Patrum Dictis illuderent.

In proxima Exercitatione hoc idem Argumentum ratione Theologica pertractabimus.

## PRÆLECTIO IX.

*Sententia de sensibili pœna Infantibus non baptizatis insinuada Rationibus Theologicis roboratur.*

**H**Actenus Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum Auctoritate pugnavimus, ut Augustini Sententiam de sensibilibus Infantibus sine Lavacro decedentium pœnis ab Æmulatorum calumnia tueremur. Nihil ab illo eo in Capite propugnatum ostendimus, quod cum sacris Scripturarum, ac Patrum Oraculis non apprime consentiat; ut nulli jam patere calumnia, satis superque sit manifestum. Verum cum tanta sit Sanctissimi Doctoris Obtredataur audacia, ut cum crudelitatis præsertim incusent, quod Puerulos Rationis minime compotes diris adeo tormentis, ac pœnis devoverit; facturos nos operæ pretium arbitrari sumus, si Sententiam veterem Patrum Suffragio jam satis in tuto positam rationibus Theologicis muniremus: quibus perspicuum unicuique fiat, nihil in eo Augustini Dogmate non humanum, nihil non iustum, debitumque Parvulis reperiri.

Id ut feliciter exequamur, rem totam ad primam Originalis peccati Principia revocamus: ad quæ minus profecto attendisse puto Theologos illos, qui Pueros eo infectos a sensibilibus pœnis adeo fidenter absolvunt. Originalis ergo peccati nomine nudam Originalis Justitiæ privationem intelligere nefas est. Hæc enim Naturæ puræ, ac nudæ debetur: sed privationem intelligimus ex macula Animæ inherente, ex reatu Animæ infixo consecutum. Est hæc Ecclesiæ Catholicæ Fides, non ab Augustino duntaxat asserta; sed & a Conciliis Africanis, & a Romanis Pontifi-

cibus, ac postremo a Tridentina Synodo luculenter expressa; uti in antehabitis Exercitationibus si bene meministis, producis Testimoniis demonstravimus. Hinc Originale peccatum veri nominis peccatum esse, certo constat? peccatum, inquam, ab Adamo primum quidem admissum; sed quod unicuique nostrum propagatione factum est proprium; cuius vel unius demerito contumeliæ yasa sumus apta in interitum, ac ex ipsa Natura eo solo contagio infecta Filii iræ: ut loquitur Divinus Apostolus. Eo constituto Principio, quod nemo, nisi Pelagianus, in dubium verterit, consecutionem intulit Augustinus *Tract. 42. in Joan.*: si Filii iræ nascendo sumus, igitur ex eo solo peccato, quod nascendo gerimus, Filii vindictæ sumus, Filii pœnæ, Filii gehennæ: atque ita Parvulis, qui eo infecti peccato rapiuntur, vindicta debetur, pœna, gehenna. An non & illa legitima consecutio, & Augustini Ingenio vere digna? Si etenim ultra nudam Originalis Justitiæ privationem vera Pueris macula, verus culpa reatus adhæret, adeo ut vere sint Peccatores, eis ergo subsensus, iratus, & inimicus est Deus. Si iratus, & inimicus, quidni in eisdem Justitiæ vindictæ actus exerceat, pœnas sensibiles infligendo?

Quid ad hæc Augustini Osiores? Reponunt misericordes Puerorum Patroni, satis abunde Iram Dei, ipsamque Justitiæ vindictivam in Originale peccatum exerceri sola pœna Damni infusione; nec ultra oportere, ut pœna sensibilibus Pueris imponatur. En solitum, tritumque Respondum. At tantum abest, ut Augustini telum effugiant, qui id effutunt; quia potis satis produnt, se Originalis peccati naturam, positaque Fidei Capita minus capere. Inquo enim (idque a vobis alta mente deligi velim, unde tota Controversia pendet) si Pueri cum nuda Originalis Justitiæ privatione morentur (uti plane contingeret, si Deus in Statu Naturæ puræ Hominem condidisset) nec insuper maculam, verumque reatum culpæ infixum haberent, Damni pœnam nihilominus sustinerent; hoc est, Dei conspectu privarentur. Id certissimum est apud omnes. Igitur sola pœna Damni, & Visionis Divinæ privatio nudæ Originalis Justitiæ privationi responderet. Cum itaque Pueri ultra Originalis Justitiæ privationem maculam insuper, verumque culpæ reatum infixum habeant, in quem Deus Iram suam, ac Justitiæ vindictivam exerceat, novo insuper pœnæ, & vindictæ genere affici debent. An hæc satis adverterint recentiores aliqui Theologi, nescio; qui nihil in Pueris ultra nudam Originalis Justitiæ privationem videntur agnoscere; maculam, & culpæ reatum, quo vere sunt Peccatores, pro nihilo reputant; Deumque non aliter Pueros illos in altera Vita punire fabulantur, quam si in puris naturalibus obissent.

Sed quid hæc moror? Sibi ipsis jugulum perunt, suaque Principia demoluntur, qui istud Augustini Argumento Respondum obrudunt. Ira enim, atque Justitiæ vindictiva (si suis Principiis stare velint) sola pœnæ Damni infusione, seu denegatione Divini conspectus exerceri nullatenus potest. Quid enim Justitiæ vindictivæ nomine venit in mentem, nisi ea Justitiæ, cuius exercitio affligitur, torqueturque Reus?

At Pueros Divinæ Visionis negatione nec affligi, nec torqueri putant Theologi illi; eosque nec tristitia, nec marore consici opiantur, ut in superioribus vidimus: aut ergo Justitiæ vindictivam in Pueros exerceri, negandum est; quod certe negare salva Apostoli Doctrina, non possumus; aut aliud insuper pœnæ genus excogitan-

taandum; quo Parvulus Deus muldet. An non videndus ille, qui vindictivam Principis Justitiæ in Subditum exerceri diceret, quia cum ad Imperii Societatem, ad quam nec jus, nec proportio ullam habet, non assumeret; quam nec appeteret ille, nec ambiret, imo nec noceret? Ita plane isti Theologi recentiores, Pueros nec æternam Beatitudinem optare, nec nosse putant; nullum ad eam jus, proportionemque habere volunt; illius privatione nec tritari illos, nec dolere fabulantur: & tamen, si Superis placeat, Deum huiusce Beatitudinis privatione suam in illos Iram, Justitiæque vindictivam exerceat fidenter hariolantur. Sic certe suis retibus implicantur, qui Augustinum subtilibus Argutiolis supplicandum exultant.

Accedit altera ratio nihil minus efficax, qua Difficultatem hanc totam ex ipsa radice petit, Peccatum Originale sensibilibus pœnis plebitur, & afficitur in hac Vita. Quotquot enim in hac miseria Valle ponarum genera sunt, ea nos, ut insulsa Originalis peccati consecutio, persequimur; ipsique etiam recens nati Pueri diris omnimodis experiantur; Ignorantiam, Infirmitatem, Concupiscentiam perduellunt, Ægrotudinem, Famem, Necessitatem moriendi, aliæque id genus longe multa, Quidni ergo Deus sensibilibus pœnis in altera Vita Originale peccatum muldet? Cum enim peccatum illud Pueris non ablatis post mortem adhæret; feri profecto non potest, ut cum iis mitius in altera Vita Deus agat, quam in ista se gerere solet. Quandoquidem Divinæ Ultionis tunc tempus erit, nunc Patientiæ, ac Tolerantiæ. Ita sexcentis locis ratiocinatur Augustinus.

Miram quos anfractus, quæ diverticula quarant Theologi recentiores, ut elabuntur. Respondent enimvero Nonnulli, pœnas sensibiles, quas in hocce mortali Statu patimur, Originali peccato minime respondere per se se, ac ratione sui, sed per accidens: hoc est; Homines in hac mortali Vita pœnas sensibiles perpeti non quasi Originali peccato, uti eius iusta flagella, debeantur; sed quia Humanæ Naturæ conditioni debeantur, dum sibi ipsi reliquuntur, & Originali Justitiæ destituitur. Justitia enim Originalis, inquit illi, miseris Humanæ conditioni debetur, quas videlicet purus Homo subsistet, eximebat; quæque Originale peccatum Originalem Justitiæ sustulerit, per accidens miseria istas induxit; quæ non tam Originalis peccati pœnæ sunt, quam debita spoliata Naturæ consecutio.

Quid tota illa bartologia ad præfata Institutum valeat, plane non video. Demus enim totum id certum esse, quod in ea Responsione nobis venditare student, adhuc Causa caderent illi, stareque Augustini Ratiocinatio. Si enim pœnæ sensibiles, quas Pueri in hacce mortali Vita experiantur, Humanæ Naturæ Originali Justitiæ destituta debita consecutio sunt; cur non Naturam illorum in altera quoque Vita consequantur; cum & illic Originali Justitiæ exuta Natura maneat? Potiori quippe iure miseria sensibiles adherere Parvulis debent, si exuta Naturæ necessaria consecutio reputantur. Certe mirari satis non possum Theologorum illorum indiscretam in Pueros misericordiam; qui eos non modo a pœnis Naturæ impositis eximendos a Deo sibi fingunt; sed & ab iis etiam pœnis, quas ex eorumdem Naturæ conditione necessario consequi profertur; quasi Deus in die Iræ, atque Vindictæ Pueros non modo non pleberet; sed novis etiam Beneficiis cumularet, ab iis illos pœnis eximens, quæ Naturam necessario consequuntur.

Seray Tom. IV.

Sed & illud falsissimum est, quod adeo fidenter hariolantur, pœnas sensibiles, quas Pueri a partu recentes in hac Vita patiuntur, Originalis peccati flagella non esse, eidem per se debita, sed Humanæ Naturæ Justitiæ Originali exuta necessaria consecutio. Quanquam enim pœnarum illarum aliqua secundum substantiam debita Homini puro dici possent; dubium profecto non est, quin secundum modum indebita illi sint, & Originalis peccati iusta flagella. Sic, tamen morborum mortisque necessitas puræ Naturæ Appendices haberi possent, quia contrariis Qualitatibus constat; tanta nihilominus frequentia morborum, severior hostilitas, mortis horror atrocior, non Appendices profecto sunt nudæ Naturæ, sed vitiata flagella; nemoque Theologorum est, qui non ultro concedat, arduas, dolores, infortunia, afflictiones, cruciatus multo nos magis obfidere, atque opprimere, quam nudæ Naturæ conditio postulare. Ea ergo Malorum major hostilitas inter pœnas sensibiles uni peccato Originali, non Humanæ conditioni debitas haberi debet.

De Ignorantia res plana est: tamen enim Ignorantia, ut Theologi vocant, simplicis necessitatis Naturæ puræ consecutio vocitur; Ignorantia nihilominus prave dispositionis; quæ scilicet libenter approbamus falsa pro veris; non nisi pœna peccati præsumi potest. De Concupiscentia perduelli quid moror? Satis alias me demonstrasse arbitror, Naturæ nudæ non esse debitam; sed Originalis peccati satellitem. Atque illi ipsi Theologi, qui Concupiscentiam perduellunt nudæ Naturæ debitam volunt; ardentiorem nihilominus, ac multo magis effrenem nobis inesse profiterentur. Ea igitur ardentior, ac magis effrenis perduellio inter pœnas sensibiles Originali peccato debitas computanda venit. Nihil ergo tam falsum, tam absurdum, quam quod illi Augustiniana Doctrina Obtredataur effutunt, ut Sanctissimi Doctoris Argumentum effugiant; præsentis scilicet Vitæ sensibiles pœnas, non proprias Originalis peccati multas esse, sed nudæ Naturæ necessaria consecutio.

Tertia, eademque disertissima ratio sequitur in Augustiniana Sententiæ præsidium; qua simul ad verba Patris Fundamentum ad focationem usque convellit. Pœna Sensuum cum Originali peccato proportionem integram habet, non secus, ac pœna Damni: eam ergo Pueris sine Lavacro sublati infligi, iustissimum est. Enimvero pœna Damni in Anima continetur; ipsa siquidem est, quæ Dei Visione privatur; pœna Sensus maxime in Corpore exerceatur: at vero Corpus Originali peccato vitiatum etiam est; imo Corpus peccati huiusce veluti vehiculum reputatur; Corporisque corruptio vitiata propagatione contracta in causa est, cur Anima vitiatur; hæc enim e Conditoris manibus sine labe prodit; indeque fit rea, quod Corpori per femaleem propagationem ex Adamo derivato, atque sodato copuletur: sua itaque Corpori pœna remanet non secus, ac Anima destituta.

Scio responsuros Aliquos, peccatum Originale per Corpus quidem ad Animam derivari; non tamen habere rationem culpæ, nisi secundum quod pertingit ad Animam: Ita profecto; res certe ita se habet: at non id obest, quin & Carni vitiata sua etiam pœna propria debeat. Nam & ipsa Actualia peccata, quæ externo Carnis opere consummantur, ut Homicidium, Adultærium, Actusque quicumque venerei, rationem formalem peccati non obtinent, nisi quatenus in Anima sedem habent, & ab Anima sunt; nec tamen id obest, quominus ob hæc delicta Sensibus

R 2 bus



bus poena sensibilis infligatur. quidni quoque vitia. Carni poena sensibilis infligetur Originalis peccati demerito, cuius ipsa vehiculum fuit, tamen formalis peccati rationem non habeat, nisi quatenus in Anima sedem obinet?

Hinc cernitis, opinor, quantum a vero procul aberrant, qui ajunt, Pueros Sensu, & Corpore non peccasse, atque idcirco nec Corpore, nec Sensu puniendos esse. Quam id frivolum, quam a vera Theologiae Principiis alienum! Siquidem & pari ratione obrudere possent Pelagiani, Pueros Animo non peccasse, cum Rationis usum nondum habeant, atque ita nec Animi poenam luere illos oportere. Corpore ergo, & Animo perinde peccarunt, eodemque modo, eademque ratione; non actu quidem proprio, sed alieno; huiusque alieni peccati reatus Corpori simul, & Animae carnali propagatione factus est proprius. Cum enim totum peccatum, quod Actuale fuit in Adam, in Pueris Originale sit, adeo ut reatum ejus ex toto subeant Parvuli; aliunde vero in Adā peccato voluptatis Sensus in comestione Pomi reperta sit; hujus etiam voluptatis sensibilis poena luit infelix Posteritas, in quam reatus ille generatione transfusus est. Addiderim, necesse non esse, Corpus peccasse, ut possit una cum Anima poena sensibilis castigari; sed satis esse naturam conjunctionem quae Corpus inter, & Animam reperitur. Unde & videmus, peccata Infidelitatis, Desperationis, Odii Dei, Superbiae, quae solius aut Intellectus, aut Voluntatis actu, nullo Corporis accedente ministerio, perpetrantur, sensibilibus etiam Corporis poenis in Inferis castigari. Quia & ipsi etiam Demones, qui certe Sensibus non peccarunt, sensibilis tamen poenas subeunt in Inferno, ubi & ignibus ardent, Divinae Justitiae Instrumentis effectus.

Neque vero Humanæ Mentis captum superat ea Augustini Doctrina de sensibilibus Puerorum poenis, modo certam de peccato Originali Fidem habeamus. Hac enim semel posita Fide, sensibiles poenas Pueris illis esse debitas, nullo negotio percipimus. Certe facilius intelligimus, poenam unius debitam propter peccatum admissum, transferri posse in alterum; quam culpam unius fieri culpam alterius: prioris enim Exempla habemus non pauca sacris in Litteris; posterioris plane nullum, si unicum demas Originale peccatum: at Fide tenemus, peccatum Adā tranfite in Posteris non imputatione duntaxat, sed transfusione; ita scilicet, ut sint Posteris ex Adā vere, ac proprie Peccatores, infecti nimirum macula, & reatu: quidni ergo captivus, poruisse illa Dei Justitiae poenam sensibilis Adā debitam propter peccatum, in Posteris tranfuisse? Sed ut libere loquar, tota hallucinatio inde oritur, quod res istas pensamus oculis Mentis, & Fidei. Audimus, Pueros illos esse vere Peccatores, culpa reatu infectos; esse illos Deo exotos, & inimicos; esse vasa irae, vasa contumeliae; quae omnia de illis testatur Apostolus; nec ob id exhorrescimus, eaque omnia veluti pro nihilo computamus: ubi vero audimus, Pueros illos sensibilis poena torqueri, excandescimus, frontem contrahimus, duram, erudem Sententiam vocamus. Et tamen morali aestimatione longe gravius est, Peccatorem esse, Deo exotum, & inimicum, quam quacunque poena sensibilis cruciari. Audimus, Pueros illos poena Damni affici in altera Vita, Divina Visione privari, a Deo, uti ultimo Fine, aeternum esse averfos; nec exhorrescimus; quin & poenam illam veluti flocci facimus; ubi vero eisdem illos poena Sensus affici cogitamus, statim pallescimus, duram Sententiam alterimus: ea tamen morali aestimatione gravius longe est poena Damni, quam Sensus; nec dubitandum, quin si Pueris illis daretur optio, & fie-

ri res ipsa posset, poenis sensibilibus etiam omnium atrocissimis affici mallet, modo Dei conspectu frueretur; quam Dei visionem privari, simulque sensibilibus omnibus poenis absolvi.

Sed tempus est, ut Adversariorum Momentis ex Autoritate petitis satisfacere cogitemus: quod in sequentibus, Deo dante, cumulate praestabimus.

## PRÆLECTIO X.

*Satis sit Adversariorum Momentis ex Autoritate petitis adversus postquam, ac propugnatam de sensibilibus Infantium poenis D. Augustini, atque omnium Patrum Sententiam.*

Puerorum sine Baptismo decedentium Patronos qui eos a poena Sensuum liberalius absolunt, ad audientiam tandem admittimus. Quid pro Clientibus mutis, qui Causam suam agere nequeunt, ex Pietatis officio sint prolaturi, ad libram vocamus; ne speciosa miserationis obtentu, quae illis paritum vellet, Divinae Justitiae, ac aeternae Veritatis Jura minuatur. Novimus enim, nihil Parvulis jam defunctis prodesse Theologorum in sentiendo misericordiam, si re ipsa aeternis ignibus ardeant; nihil e contra eisdem obesse Sententiae nostrae severitatem, si forte a poenis Sensuum absolvantur: multum vero obesse Theologis arbitramur, si ob inutilem erga Defunctos misericordiam Sententias Scripturis, ac Patribus adversas tueantur. Non enim ex affectu quodam humano, quo plerique moveri solent, sed ex Sacris Oraclis de tota ista Controversia pronuntiandum est: quod & haecenus feliciter, uti meministis, observavimus. Sed ad Institutum accedamus.

Pudet imprimis nonnullos Puerorum Patronos, Augustinum adversarium experiri; ne apud aequos Aestimatores actione submoveantur. Hunc igitur, sin minus in sua parte omnino pertrahere, saltem in isto Argumenti genere titubantem, atque ancipitem ostendere molimur. Quod ut praestent rodunt nescio quid ex ejus Lib. 3. de libero arb. cap. 23, ubi admittit SS. Doctor, eum, qui nec recte agit, nec male, in medio quodam Statu futurum in altera Vita inter praemium, & supplicium. Unde colligere sibi putant, Pueros sacro Baptismate non ablutos, qui recti nihil egere, vel mali, medio quodam Statu futuros, ubi nec Caestri praemio perfruantur, nec aeterno supplicio cruciantur.

Mirari profecto subit, hanc hunc vorasse tot Viros alias eruditos; qui si eum Augustini Locum paulo diligentius observassent, minus suae, ac Puerorum Causae prodesse comperissent; imo verius obesse multo magis. Imprimis quidem non prodesse, certum est: Hypothesim quippe toto Caelo diversam examinat Augustinus; nec de Parvulis, aut Hominibus Originali peccato fauciis disputat eo loci; sed de Homine puro, ac nudo, qualem Manichaei, contra quos agit, fabulabantur. Idque sibi vult unum SS. Doctor, Hominem nudo spectatum, nullosque Originis vitio inquinatum, sed naturali suae conditioni relictum, qui neque recti quidpiam ageret, neque mali, medio quodam Statu futurum in altera Vita inter praemium, & supplicium: quod cum constet, evenire non posse (est enim Argumentum hoc ab inconvenienti petium) Manichaeorum Dogma esse falsissimum, colligit Augustinus. Legat Augustinum quisquis sensum ejus, meanque in eo referendo hanc explorare velit. Quare dum eam lasciviam Parvulis accommodat Recentiores, Augustini Hypothesim evertunt; cum Parvuli non in Natura nuda, sed Originis vitio fauciata nascantur; cuius demerito sit, ut supplicio deputentur; tametsi nil

nil boni, vel mali propria Voluntate commiserant.

Sed & obest insuper Parvulorum Patronis ea de Augustino Expositio tantopere jactata. Ex hac enim praesidium alias quaesire Semipelagiani, ut Augustino litem moverent; illumque in ista de Parvulis Controversia nutantem, ancipitem, ac dubium demonstrent. Ea de re Augustinum per Litteras movuit S. Hilarius, dum ei Semipelagianorum obmurmurationes exposuit, ut legitur Epist. 156. (inter Opus S. Augustini) ad eum data; ubi illi objicit, quod dixisset: *Infantum non baptizatum morte preventum non posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur.* Quod forte Hilarius dixit respiciens ad Librum superius laudatum de lib. arbitrio. Semipelagianorum igitur arma recidunt quicumque Augustinum nutasse, & ancipitem habuisse in decernendis Puerorum poenis, evincere moliantur. Interim tamen quid responderit Augustinus videamus. Respondit Lib. de dono perseverantiae cap. 12, & de diu olim Libros istos de libero arbitrio adornasse, ut Hypothesim Manichaeorum impeteret ab illa longe diversam, quae Pueros Originali peccato infectos afferit; quemadmodum paulo ante dicebam. Quibus in Libris subiungit: *Sic enim quando Libros de libero arbitrio laicus capi; presbyter explicavit, ad huc de damnatione Infantium non renascentium, & de renascentium liberatione dubitarem, nemo, ut opinor, esset, nisi injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret.* Quid itaque de ea Augustini dubitatione gloriantur Recentiores, quam si forte habuit, quod tamen inficior, junior duntaxat habuit; quamque tandem post ingentem litterarum profectum excussit? Unde & ita concludit Augustinus Propositi ac Sententiae tenacissimus: *Assit ut Causam Parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur Parvuli, transeant in aeternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam; hoc est, in stagnum ignis, ut loquitur dilectus Apostolus in Apocalypsi cap. 20. Augustinum ergo eo in Dogmate ancipitem fuisse, signum est; cum obiectam sibi a Semipelagianis ancipitem, ac nutantem Animi accusationem adeo viriliter, ac nervose repulserit.*

Unum est, de quo dubitasse Augustinum invenio: de gradu nempe, & intensioe caloris ignis, quo Parvuli torquentur. Equis vero id certo deponere audeat? At tantum abest, ut id adversae Sententiae proficiat, quin potius magis nocet; cum nunquam de gradu, & intensioe ignis dubitasset Augustinus, nisi igne ardere Parvulos crederet. *Quae qualis, & quanta erit (ista damnatio) inquit ille Lib. 5. contra Julianum cap. 11., quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam, ut ibi essent, potius expediret.* Certe si de damnationis gradu dubitat, illos ergo damnari supponit; & vera quidem damnatione, quae poenas sensibiles secum ferat: nam ea damnatio, quae in nuda Divinae Visionis privatione posita dicitur, gradus non habet; ut de illius gradibus dubitatio suboriri possit: privationes enim, ut Schola loquitur, non suscipiunt magis, & minus.

Sunt qui haec ultima Augustini verba cavillentur eodem in Libro: dubitat, inquit, Augustinus, an iis Parvulis potius expediret, nunquam extitisse, quam eo in Statu versari; at si igne tartareo uterentur, eis certissime expediret potius omnino non esse, quam ibi esse: non igitur uruntur. Nonne isti frustra Ingenium exercent, satisque demonstrant, nihil se in Augustino alicujus Momenti invenire, quo suas Opiniones muniant

dum verba obiter, & oblique posita avide corrodunt, ut peregrinis, & detortis illationibus venari aliquid possint? Mirum sane. Torqueri, atque damnari Parvulos certo supponit Augustinus: qualis autem, quantaque sit tortura illa, atque damnatio, pronunciare non audeat; numve melius sit eis, omnino non esse, quam illic esse. Ti vero, si Superis placet, ex levi illa dubitatione de tortura, damnationisque gradibus Argumentum arripunt ad torturam ipsam, damnationemque confutandam. Festivus profecto est ille disputandi modus; quo Augustini certa Sententia ex alia Augustini dubitatione confutatur. Apagē nugacem disputandi modum. Quod certum habet SS. Pater, certum habeamus; quod dubium, dimittamus; nec inde Argutias congeramus obliquas, & peregrinas. Dicam tamen quorū subdubitaverit Augustinus, an non esse omnino Pueris illis expediret, absque tamen Sententiae suae dispendio. Quia videlicet dubitavit, an ignis, quo illos affligi contendit, molestiam duntaxat, atque dolorem illis incutiat; an insuper illos integre comburat. Quamquam porro certissimum sit, melius Parvulis fore, re ipsa non esse, si comburi ex integro existimerent; dubitari tamen utcumque potest, an melius illis foret, omnino non esse, si molestiam duntaxat, atque dolorem ex igne perferant. Sed quid tandem Puerorum Advocati? Augustinus, inquit, Puerorum damnationem omnium levissimam, atque mitissimam vocat Lib. 5. cont. Jul. cap. 11. & Lib. 1. de peccator. merit. & remis. cap. 16. Non ergo poenis sensibilibus cruciantur. Spuria est illa confutatio, & ab ipso Augustino confutata eodem Lib. 1. de pecc. mer. & remis. *Potest praeterea, inquit SS. Doctor, recte dici, Parvulus sine Baptismo de corpore exeuntes in damnationem omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione predicat non futuros.* Puerorum itaque damnationem levissimam, atque mitissimam vocavit inter sensibiles poenas, quas Damnati in Inferis subeunt: levius enim, ac mitius cum Pueris agi contendit, quam cum iis, qui Originis debito alia subinde scelera ex Voluntate pervertite addiderunt. Quare haec Adulatorum damnatorum comparatione dicuntur, non absolute; nam, & ipsam solam poenam Damni, qua saltem Pueros affici, Theologorum omnium assensu certissimum est, levissimam absolute loquendo nemo dixerit; cum summi Boni privationem praeserant. Nec dubitandum, quin, si daretur optio, & fieri res ipsa posset, Parvuli Sensuum poenis affligi mallet, modo Dei conspectu fruerentur, quam cum Divini conspectus jactura ab omnibus Sensuum poenis absolvi.

Ab Augustino ad nonnullos Ecclesiae Graecae Patres tranfuit: quorum Suffragium implorant Puerorum Advocati. Gregorium Nazianzenum imprimis produunt, qui Oratione 40. in Sanctum Baptisma, Pueros nec Caestri Gloria, nec supplicii a iusto Iudice affici docet: tum etiam Gregorium Nyssenum, qui Oratione de Infantibus praematura morte subreptis a cruciatibus, & doloribus omnibus eos absolvit.

Sed haec omnia minus urgere fatebuntur aequi rerum Aestimatores, modo vel leviter observaverint, Gregorium utrumque Pelagianae Haereticis ortum anteveritisse; quo necdum tempore Controversiae istae de peccato Originali ad limam severiorem vocatae erant; nulla ad id Ecclesiasticos Tractatores adigente necessitate: qui de iis idcirco obiter tantum, ac perfunctorie pronunciarunt. Quare ad eorum Suffragia aequo jure repone licet, quod aliis veterum Patrum Suffragiis, quae Augustino alia occasione Semipelagiani obje-



obscure solebant, reponere SS. Doctor cap. 14. de Praed. SS. Quid igitur opus est, ut eorum scrupulorum Opuscula, qui priusquam illa Haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad solvendum Quaestione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogenerentur. Unde factum est, ut quid sentirent, breviter quibusdam Scripturarum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur vero in eis, quae adversus alios inimicos Ecclesiae disputabant. Quanquam, quod attinet ad N. N. dicam praeterea, illum non ex propria, sed ex aliorum sententia id eo loci protulisse; ait enim: In praenatis autem nihil est ejusmodi (cruciatu videlicet & dolore) sed prius eos, qui in immatura aetate ex hac vita translatis sunt (si mox vera eorum, qui ita suspiciantur, & cecidit, opinio est) bona facta, acque conditio excipit. En aliorum non suam Opinione illam; de qua imo dubitat ipse, an vera sit.

Ab his ergo feliciter repetenda venit praesentis Controversiae Definitio, qui post ortam adversus Originalem peccatum Haesim cum Pelagianis collato pede certant; omnesque Difficultatis huiusce rivas discurrunt: ab Augustino videlicet; Innocentio I.; Gelasio I.; S. Hieronymo; S. Fulgentio; Gregorio Magno; Africanorum Synodorum Patribus; aliisque longe multis, quos in Superioribus in Augustinianae Sententiae defensionem asserabamus.

Quanquam tamen utrique Gregorio, Nysseno scilicet, ac Nazianzeno reponi posset, illos a supplicis, ac doloribus Pueros absoluisse, non ab omnibus quidem, sed ab his, quibus Adulti severius, ac durius castigantur: ut etiam hac in parte nihil ab Augustino dissentiant.

Sunt qui non sine ostentatione D. Ambrosii Contextum nobis opponant Lib. 2. de Abraham cap. 11. non longe a fine, ut poenarum sensibilem immunitatem in Pueris non ablatis in altera Vita nobis ostendant. Nisi, cum quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest intrare in Regnum Dei. Unique nullum excipit, non Infantem, non aliqua praeventum necessitate. Habeant tamen illam operam poenarum immunitatem; nescio, an habeant Regni honorem.

Perperam tamen illi Contextum hunc iactant, quem vitiatum, corruptumque fuisse notant eruditissimi Benedictini; qui postremam D. Ambrosii Editionem proferunt. Ea quidem patet corruptio, atque vitiatio ipsa per se: primo enim; poenarum immunitatem habere dicuntur non modo Pueri non abluti, sed & Adulti, qui a suscipiendo Baptismate aliqua necessitate sunt impediti: quod nemo dixerit Orthodoxus. Secundo; in dubium ibi vertitur, an habeant Regni Coelestis Honorem tum Infantes, tum Adulti sacro Baptismate minime tincti; cum contra non habere illos, Christus ibidem aperte, distincteque pronunciet: Non intrabit in Regnum Colorum. Est ergo Locus ille vitiatum.

Sed age, non esse vitiatum Contextum illum, concedamus; sensus tamen ejus talis esse potest, qui adversa Parti nihil omnino faveat; si nempe vim potestatemque voculae huius operam paulo intimius attendamus. Is itaque sensus est: etiam si habeant illam operam poenarum immunitatem; hoc est: est illis operam, seu ocula sit poenarum immunitas, nescio, an perinde operam, habeant Regni honorem. Quasi dicat: tamen, qui sine Baptismo moriuntur, cum Infantes, tum Adulti aliqua necessitate praepediti, ignorant, a quibus huius Vitae poenis (quae erant futuri, si diutius vixissent) immunes fiant; non puto tamen, eos ignorare, quam fecere haerentiam Honoris Regni

Coelestis. Textus porro ita expositus, & ad eum sensum infusus nihil nostram Quaestionem contingit; agimus quippe de sensibilibus alterius Vitae poenis, a quibus non esse immunes Pueros dicimus; Ambrosius vero de sensibilibus praesentis Vitae poenis agit; quas a Pueris ignorari (quales nempe futurae illis essent, si diutius vixissent) ultro citroque concedit.

Cetera non moror, quae Theologi nonnulli minus obae natis, & emundi criteriis venditant; dum videlicet Commentarios in Epistolae Pauli, qui inter Opera S. Ambrosii visuntur, egregie pro sua Sententia magnificunt; cum criticis omnibus Eruditis exploratissimum sit, Commentarios illos non modo non esse Ambrosii, sed Ambrosii Haeretici Pelagiani, qui illos etiam putidis Haesibus insarfit.

Morari fortassis aliquem posset, quod legitimus Lib. 3. Debet. Fir. 42. de Bapt. cap. 3. Majores ex Innocentio III. pestum: Poena Originalis peccati est carentia Visionis Dei. Actualis vero poena peccati est gehenna perpetua cruciatus; quo nihil prima fronte videtur licentius. Certe, si Jurisperitos imitari hic liceat, qui clavum clavo trudent, & Textum unum alterius Textus oppositione interpretantur ac solvant; rem totam facile restituamus. Opponemus quippe Textum ex 4. Distinctione de Consecratione cap. Firmissime; ubi expresse dicitur: Parvulus qui de hoc saeculo absque Sacramento S. Baptismatis transeunt, sompiterio igne esse puniendos. Unde causam arripuit Cardinalis Palavicinus Vir juris consultissimus; illos durius exagrandi, qui Augustinianae Sententiae temeritatis notam asserunt.

Quid etiam quod Glossa ad Textum illum obiectum ex cap. Majores de Baptismo observat, Sanctionem illam superficialem esse; nec videri ab ipso Pontifice asertam, sed ab aliquo, qui ei a secretis esset, ac minus eruditus, asutum? Ita Viri eruditi reponunt, praesertim vero Gregorius Ariminensis, qui ante annos ab hinc trecentos Locum hunc Innocentii III. occupavit; & exhaustavit.

Ne tamen obiectam Difficultatem potius eludere videar, quam dissolvere, pressius dico, Caput Majores non agere de totali, & integra poena, quae utrique peccato Originali, & Actuali debeatur; sed de ea tantum, quae primario utriusque debita est; atque adeo id sibi vult unum, poenam Damni Originali peccato primario deberi; poenam Sensus vice versa primario deberi Actuali peccato, tamen secundario & poenam Sensus Originali, & poenam Damni debeat Actuali.

Id ni dicamus, spisso errore laborabit Innocentius: quia sicuti privationem Visionis Dei Originalis peccati poenam asserit; ita perpetuae gehennae cruciatum Actualis peccati poenam appellat; adeoque tam peccatum Aequale a poena Damni censeretur eximere, quod erroneum est, quam peccatum Originale a poena Sensus fingitur liberasse. Sicut ergo Damni poenam non excludit in Adultis, dum gehennae cruciatum Actualis peccati poenam esse desinat; ita nec poenam Sensus excludit in Parvulis, dum Originalis peccati poenam ait esse Divinae Visionis privationem. Quod si quis nobis festive reponat, Ratiocinationem nostram nihil evincere, propterea quod posita semel gehennae poena, & Divinae Visionis privationem poni necesse sit, cum repugnet, aliquem esse unum simul beatum, & supplicis afflictum; idem responam & ego: repugnare videlicet aliquem peccati alicuius poenam privatum esse Beatitudine, Deo exosum, Divinae Vindictae scopum, Diabolique mancipium, & una simul nullo sensibilibus tormentorum genere cruciatum.

Uni.

## PRAELECTIO XI.

Adversariorum Momenta in Causa Infantium ex Ratione desumpta expenduntur, ac refutantur.

Unicum restat, quod ex Scripturis praesidium petunt; ex illis videlicet Apocalypsis verbis cap. 18. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum. Porro Parvuli nulla fe ratione glorificaverunt, aut in deliciis fuisse; nullum itaque tormentum experientur.

Verum universalis non est illa Scripturae Sacrae Sententia, ut ex ea pro Parvulis consecutio duci possit; Quanquam enim pro mensura deliciarum, & vanae gloriae augendum, minuendumve tormentum significet in Adultis; non tamen innuit, nullum aliis futurum tormentum, qui alio peccati genere tenebuntur; alioquin sola peccata vanae gloriae, & carnalis delectationis poena Sensus in Inferis plecterentur.

Quanquam & aliquo Sensus dici potest, Pueros in altera Vita tormenta pati, quia se glorificaverunt, & in deliciis fuerunt juxta phrasim Apocalypsis: in quantum Adami peccatum, quod illis transfusione factum est proprium, & pro quo poenas sensibiles luunt, non sine glorificatione, & delectatione sensibili ab Adamo commissum est.

Ceterum si quid ex Libro illo Apocalypsis ad huiusmodi Controversiae eliquationem extendi potest, Parvuli potius Causa cadent, & aeternis ignibus deputentur. Etenim cap. 20. Infantes ad extremum Judicium accessuros scribit dilectus Apostolus: Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu Throni, & Libri aperti sunt; & alius Liber apertus est, qui est vita: & iudicati sunt mortui; Tum post pauca subiungit: & qui non est inventus in Libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis. Cum ergo Pueri Sacro Baptismate non abluti, & ad Judicium vocati in Libro Vitae descripti non sint, in stagnum ignis procul dubio deiciantur.

Sed quid tandem D. Thomae Suffragio reponemus? Certo quippe certius est, Doctorem Angelicum Pueros illos a poena Sensus absolvisse; imo & ab omni dolore, tristitia, & dolore in altera Vita liberasse, uti legitur in 2. Sent. Dist. 33. quest. 2. & Quest. 5. de Malo art. 2.

Equidem negari omnino nequit, in eam Sententiam Doctorem SS. inclinasse, quae illius aetate communior habebatur in Scholis: verum eam; qualiscumque tandem fuerit, retractavit, ac revocavit, velut absurdam Lib. 3. contra Gentes cap. 159. ubi pro absurdo habet, quod aliqui Homines sint, qui nec Beatitudinem consequantur, nec poenam patiuntur a Deo: cuius contrarium ostenditur ex eo, quod dicitur Matth. 25. quod omnibus in aeterno Judicio existentibus dicitur: Venite possidete paratum vobis regnum: vel: Discidite in ignem aeternum. Quod tamen absurdum in Parvulis non ablutis certo contingeret, si ignis aeterni poena nequaquam afficerentur; cum & ii Regnum aeternum nequaquam possideri sint. Francisci Sylvii celeberrimi Thomistae observatio est in 1. 2. quest. 85. art. 6.

Jam quid ex Ratione in eorundem Puerorum gratiam proferre soleant Theologi recentiores, sequenti Exercitatione expendemus, ac confutabimus.

Gravissima Controversia de sensibili Puerorum sine Lavacro decedentium poena coronidem imposituri, Theologorumque oppositum sententiarum rationes in praesens confutaturi potissima subeundi oneris parte levatissimum. Meminisse etenim vos oportet, quam viriliter potissimum adversa Partis munitionem in antehabitis Dissertationibus dimoliti sumus, dum Sensus poenas Originali peccato pares, atque (ut Schola loquitur) proportionatas ostenderemus; hoc etenim praeceteris telo Augustini Sententiam impetere solent; quod jam a nobis obtusum est; sic ut minutiora duntaxat impraesentiarum elidenda fuerint; ne quid ultra desiderari possit a nobis. Agedum; & quid tandem misericordes Puerorum Patroni in Clientum suorum gratiam ex Ratione adferant, expendamus.

Systema durum, & inhumanum videri aiant; ac Divinae etiam Bonitati minime consentaneum, ut ignis aeterni poenas luant tot illi recens nati Pueri, ac de Mundo sine Lavacro sublari; qui propria nihil Voluntate peccaverunt, sed aliena tantum; quique forte, & miseria suae Originis Originali peccato infecti sunt. Haec illos ubique passim scribere, ac mustitare videas; quibus visus Plebecula facile luditur. At non is nos retibus capimus; qui eadem ipsa Momenta Augustino quondam olim a Pelagianis objecta, & ad nauseam usque reficata legimus. Quare cum illos minime pudeat nobis opponere, quod alias Gratiae Vindictae ejusdem illius Hostes insensibilissimi decantabant; quid nos pigeat, ea reponere, quae illis reponere SS. Doctor Lib. 5. ultimi Operis contra Jul. cap. 13. Si autem crudelis esse arbitramini, damnari Parvulos quos Originale peccatum trahere non putatis; crudelis vobis videatur, non rari ex hac Vita Parvulos, secundum vos, nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novis in multis magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione mortuos. Nam secundum ratiocinationes humanas crudelius videtur non liberare, cum possit, nullis iniquitatum parvis, magnisque peccatis, quam damnare progeniem peccatoris. Porro cum illud justum esse, quae potestis voce, clametis; hoc esse injustum, quae fronte contenditis? Certe si res exterius, & secundum Sensus unice pensitemus, non dubito, quin dura nimis ea Puerorum damnatio videatur: at si res Animo perpendamus, effulgente praesertim Fidei Lumine, quod Pueros illos vere Peccatores esse scimus, culpa reatu infectos, Deo exosos, vasa irae, & contumeliae, nihil in eorum damnatione non aequum, nihil non justum, nihil non debitum reputabimus. Quis vero Divinae Justitiae vindictivae, cuius in manus incidere horrendum est, Arcana, atque Sacrae Sensus Carnis potius, quam Mentis oculis pensitari oportere contendat? Profecto, si secundum humanas ratiocinationes librare velimus omnia, videbitur etiam durum, Hominem ob unum pravum desiderium, quod momento evanuit, damnari nihilominus in aeternum; & ob unicum superbiae actum, in quo nulla Sensus delectatio fuit, interminabilibus atque atrocissimis Sensus poenis cruciari: & id tamen credimus, si sumus Catholici, ut debemus. Quid ergo alterum impossibile videatur? Certe si rem intimius pensitemus, morali aestimatione durior est admodum poena Damni, quam Sensus: nec dubitandum (quod quidem saepius di-